



CASPARIS URSINI VELII
DE
BELLO PANNONICO,
à
FERDINANDO I CÆSARE,
ET
REGE HUNGARIÆ, CUM JOANNE COMITE SCEPU-
SIENSI, REGNI ÆMULO, FELICITER
GESTO,

LIBER V.

*Comitia Imperii Spirensia, anno MDIOXXIX. ad d. XV.
Martii nomine Cæsaris CAROLI a FERDINANDO
celebrata.*

Rebus ad hunc modum per hæreditarias regiones constitu-
tis, atque ex animi sententia confectis, Regina cum li-
beris Lintium in Austriam remissa; Rex Ferdinandus
ad celebrandum conventum principum atque omnium ordinum to-
tius Germaniæ, quem jampridem edixerat, magnis itineribus Spi-
ram contendit (1). Convenerant eo, excepto Joachimo Marchione

Conventus
Spirensis.

M 3

Bran.

(1) Cf. BARREUS in præclaro opere, quod *Histoire Generale d'Allemagne* inscripsit, Tom. VIII, Part. 1. p. 263. de his Comitibus adnotat sequentia: L'Empereur, qui étoit alors à Valladolid, donna des lettres pour la convocation d'une Diète à Spire en Allemagne. Elles furent adressées à Ferdinand Roi de Bohême & de Hongrie lequel, en qualité de Vicaire général de l'Empereur, convoqua les Etats pour le quizième de Mars.

Brandenburgensi, principes electores simul omnes, ac præterea duodeviginti principes, & Episcopi, itemque civitatum legati, atque infinita prope nobilium, eorumque, qui vocantur Barones, id est optimatum multitudo: adeo ut non minus celebris fuerit conventus, quam ille longe frequentissimus, quem anno ab hinc octavo coëgit Wermatiæ Cæsar Carolus, antequam in Hispanias rediret. Rex ipse Ferdinandus primo in concilio frequentibus principibus ac civitatum legatis hujusmodi orationem habuit.

Regis Fer-
dinandi ad
principes
Germaniæ
Oratio.

Cum aliæ res maximi momenti, magnanimi principes, & viri Germani, tum nuncii, non modo aliorum spectatissimæ fidei principum ac civitatum, verum etiam, quos nos Constantinopolim hujus potissimum gratia rei misimus, certissimi homines, qui pro haud dubio attulerunt, Cæsarem Turcarum bellum longe gravissimum moliri, nos adegerunt, ut conventum hunc ad diem ediceremus, quo & coram vos summæ ac maximæ expeditionis teterrimi ac potentissimi omnium hostis faceremus certiores, & singulorum exquisita sententia statueremus mature, quoniam maxime modo bellum, quod haud dubie recepta Hungaria Germaniæ inferet, arceamus. Quæ res nos eo magis anxios atque sollicitos habere debet, quod pro comperto habeamus, cum amplius trecentis millibus hominum suis illum finibus egressurum: eo nimirum animo, ut totum triennium ad vincendam Germaniam bellum gerat. Cujus ingentes spiritus & arrogantiam hoc tantum ad facinus accendunt victoriæ superiores, regnaque & devictæ nationes potentissimæ ac civitates, quibus permultis intra paucos annos potitus est. Sed imprimis animaverunt illum vana, ut spero, oracula vatium blandientium juvenili arrogantia, quibus fore sibi persuasit, ut usque ad Agrippinam Coloniam perdomitæ armis suis cunctæ Germaniæ dominetur. Næ illæ, si viri esse voluerimus, opesque ac copias nostras conjunxerimus, næ inquam, ille longe diversam oraculorum vim per manus nostras interpretes experietur. Quocirca, optimi ac generosissimi principes, & magnanimi viri, per decus vestrum ac fortunas, sed præcipue per societatem fraternamque adeo conjunctionem, quam Christiano ritu tincti ultro inivimus, cui ille nomini hostis est infestissimus, moneo atque hortor, ut maturime rebus vestris ac gloriæ istius clarissimæ & amplissimæ nationis, postremo libertati ac saluti vestræ, conjugum atque liberorum vestrorum consulatis: arma vestra nobiscum consociantes communis patriæ libertatisque vestræ capeffite defensionem. Equidem censeo, sumptis, ut antiquo verbo utar,

sagis

sagis ac frameis, illi immaniſſimo hoſti, antequam noſtræ ditionis loca at-
 tingat, ſumma vi atque celeritate occurendum: niſi malueritis (quod
 multo maxime miſerabile certamen futurum eſſet) eum in veſtris, ſedi-
 bus arma ſua oſtentantem, & exercentem crudeliſſima facinora aggredi:
 ubi aut victis ne animam quidem reliquam faceret, aut vobis luſtuoſa
 victoria & cruenta eveniret; addito dedecore ſummo, quod ille per
 deſertas atque difficillimas regiones, longiſſimo duriffimoque itinere, tam
 impeditum ac copioſum exercitum citius huc adduxiſſe diceretur, quam
 vos, quibus præter cæteras commoditates Danubio ſecundo flumine mili-
 tem, arma, commeatum abunde, denique res omnes, quæ in bello uſui
 ſunt, parvo labore quam celerrime deportari poſſunt, deſcendiſſe. Ad
 hæc duæ illum res ad ſuſcipiendum bellum extimulant, quæ ei jam prope
 certam ac facilem victoriam pollicentur: fama diſcordiæ atque odii ci-
 vilis inſeſtinæque diſſenſionis & ſimulatam, tum cunctatio atque ſeri bello-
 rum apparatus. Neque omnino fallit eum opinio ſua; bis enim jam
 antea fretus quamplurimas nationes minime ignavas ac imbelles, armis
 ſuis ex improviſo oppreſſas devicit: cui rei exemplo ſunt proxime ab eo
 debellati Pannonii. Eadem ſperat ſe fortuna erga vos uſurum. Verum
 fruſtra erit ille, ſi me audietis, ac privatis odiis diſſidiisque ſublatis,
 ſocordiæ nihil loci reliqueritis, quin concordibus animis primo quoque tem-
 pore arma nobiſcum capiatis, meque ſequamini: qui ut primus ero, in quem
 ille infeſtiſſimis ſignis feretur, ita proſecto nullum diſcrimen recusabo,
 princeps & cum primis in acie verſabor. Non opus eſſe arbitror, vos
 longa & bene compoſita oratione vehementius cohortari; quæ apud ſtre-
 nuos ac fortes uti non eſt neceſſe, apud ignavos & timidos nihil profici-
 tur. Hoc unum in animis veſtris cogitate, & intimis ſenſibus imprimi-
 te; præter omnia hoſtilia æcerbaque & crudelia ac novi generis ſupplicia,
 quæ patiemini, ſi ille vincet, incredibilem in modum nomen ejus & fa-
 mam auctum iri, ac tum demum orbi terrarum univerſo, etiam ſuperis
 formitabilem fore; ſi invictos omnibus ſæculis antea Germanos, & exer-
 citatiſſimos in armis bellicoſiſſimarum gentium victores, quorum vel no-
 men tantum haud raro complurimis nationibus, etiam Romanis terrori
 fuit, a ſe primum victos ac deletos ex vero fuerit gloriatus. Sin illius,
 ut ſpero, vim, & inſolentiam, inhumanamque crudelitatem veſtra vir-
 tute reprimetis, ejusque victorias ante partas inſigni aliqua clade primi
 contaminabitis, næ ille ſuo maximo malo experietur, ac credet poſtre-
 mo, veram eſſe, quæ jam inde antiquitus viget polletque de veſtris ma-
 jori-

ioribus ac vobis fama, solos Germanos inter mortales invictos esse; pernitebitque eum, tentasse nos ac laceffisse bello, quos nullus ante Rex aut Imperator, nulla in terris natio quantumvis clara ac pollens impune provocavit: postremo cum amplissimo decoris ac gloriæ vestræ incremento cum omnes homines, tum Deos ipsos, a quibus summam gratiam inibitis ob tam pium egregium ac præclarum facinus, vobis propemodum reddetis obstrictos: quando horum cultum atque observantiam, templis eorum ab hostili ac nefario incendio conservatis, tutati fueritis, illorum vero fortunas defenderitis ac salutem.

Postquam hæc dixisset, communi consilio delecti sunt ab cætera multitudine sex principes viri, qui tum hoc ipso de negotio, tum de aliis rebus, quæ proponerentur, suas dicerent sententias, quas postea ad reliquos referrent. Princeps selectorum erat inclytus Rex Ferdinandus; alter Balthasar, declaratus Episcopus Hildeshemensis, orator Cæsaris ad Germaniæ principes: tertius Fridericus Palatinus, Dux Baviariæ: reliqui Wilhelmus Dux Baviariæ, Bernardus Episcopus Tridentinus, Dux Erricus Braunsuicensis. Triapotentissimum in illo conventu agitata sunt: primum, uti intra sexquingentum annorum concilium ediceretur cunctis principibus atque potentatibus Christianitatis totius, ad quod si Pontifex summus & alii reges venire recusarent, at Germaniæ principes totius convenirent. De religione, quæ varia novaque passim, contempto ritu antiquo, in mentes hominum invaserat, multarum haud dubie cladum ac malorum causa, præcipue feditionum intra urbes ac foris belli servilis, tetri, difficilis ac periculosi, decretum fuit, ut, quoniam non nisi in conventu omnium principum nationumque & ordinum Christianitatis totius ab hominibus cum eruditione tum pietate insignibus, ac nulla novarum hæreseon contagione aspersis de re tam ardua atque inaudita cognosci posset & statui; interea temporis antiquis uterentur ritibus in sacrificiis ac preceationibus, reliquisque divinis rebus: quos qui fastidirent, si suis ac nove repertis uti mallent, id quidem licitum fore eis, dum ne deditos præcæ religioni a sua consuetudine, ac tradito majoribus suis ritu vel prohiberent, ve diversa simplicium animis inculcando avocarent, neque in posterum quicquam ipsi innovarent. Hanc quidem sententiam probaverunt & secuti sunt major meliorque pars principum, a quibus dissensere Dux Joannes Saxonæ, Philippus Landgravius Hassiæ, Marchio Brandenburgensis, Geor-

Tractata in
Conventu.

Georgius, & aliquot civitatum legati. Postremo auxilia decreta in bellum Turcicum a cunctis ordinibus peditum ad XII. equitem milia quatuor; quibus stipendium persolveretur ex ea pecunia, quæ jam olim confecta fuit ac contributa Carolo Cæsari, Romam de more coronam a pontifice petita ituro.

Inter hæc *caduceator* Regis Francisci clam illo missus, aliquod diebus externo habitu usus fefellit; donec occasionem nactus, abjecta chlamyde, quam superne induerat, ostium conclavis, ubi selecti principes convenerant, pultavit, ac jam in veste adstitit regis insignibus ornata. Inde nomen suum cum prodidisset, expectare jussus, paulo post intromissus est, literasque Regis Galliarum ad Germaniæ principes reddidit; in quibus secundum salutem purgavit se a suspitione occulti fœderis cum Turcarum Cæsare initi; se tam nefarii facinoris, a quo in tota vita maximopere abhorruisset, falso ab adversariis, sibi calumniam impingentibus tam fœdam, infimulari. Dein quo minus condiciones de pace a Cæsare Carolo latas omnes præstare posset, obstare jusjurandum, quo se obstrinxit cum regni gubernacula capefferet, nullam regni partem abalienaturum. Quamobrem Burgundiæ comitatum, quem Cæsar inter alia cupientissime repeteret, tradere sibi non integrum esse: pro quo, æqua æstimatione ab arbitris facta, se aurum soluturum pollicebatur. Præterea se nullius æque rei, ac pacis & quietis cupidum fuisse, & appetisse omnibus rationibus Cæsaris amicitiam: cujus quidem compos hætenus propter duras adeo & indolerandas condiciones ab adversariis latas fieri non potuisset. Postremo se paratum esse ad omnia descendere, quæ principes Germaniæ ac reliqui dynastæ censuissent inter se atque adversarios de compositione, qui tamen nullum sibi modum facerent petendi indies plura occupandique. Si principum opera pax sibi tantopere exoptata daretur, & si Cæsar ab armis discederet tandem, ut sublata controversia perniciali, nomen omne Christianum ac rempublicam ab interitu vindicaret; tum se adversus Turcarum Imperatorem florentes ac prævalidas copias auxilio missurum. Hæc quidem ut verbis magnifice exornata & amplissime perpolitata fuerunt, ita re vera nihil aliud velle visa sunt, quam ut Cæsari invidiam apud omnes ordines compararent, speciosa magis dictu quam vera.

Eodem tempore, cum jam pridem religio, quæ magna ex parte explosis antiquis ceremoniis cunctas fere Germaniæ civitates inces-

serat, etiam in pagos aliquot Helvetiorum irrepisset, alteque in mortalium mentibus radices egisset: quinque erant adhuc reliqui pagi, quorum caput Lucerna, qui averfati novos ritus, ferre haud poterant oppida ea, quæ communi Marte ac viribus Helvetii suam in potestatem jam olim redegerant, ab adversæ partis hominibus ad suscipiendos novos ritus sollicitari, atque adeo jam, ut veteres atque a majoribus suis traditas ceremonias abolerent, manifeste cogi. Ex ea re tantum repente ortum est dissidium & contentio, ut utrinque ad arma vocarentur: atque haud procul fuit, quin cominus acie confligerent. Lucernenses ac focii pagi ad Regem Ferdinandum legatos mittunt, quocum hisce conditionibus præcipue fœdus ineant: primum, uti rite integreque Evangelium Christianum passim omnibus quotidie a viris eruditione ac vitæ sanctitate præclaris ac probatis deprædicaretur; deinde si qui novarum cupidi rerum eos in tam sancto instituto impedire vellent, aut ad externæ inauditæque susceptionem religionis compellere; adversus eos hostilem in modum focia arma sumerent, ac totis viribus annexi impiis illorum conatibus obstarent. postremo neutra pars religionis desertores, aut novi aliquid molientes, utrobique profugientes reciperet. His ferme conditionibus data acceptaque utrinque fide, jam tum vehementius gliscebant seditio partium in Helvetiis. Quapropter ex fœdere Rex Ferdinandus suis suppetias erat missurus, nisi pacis interpretes accepti fuissent, quos Rex ipse ac Rotwilenses miserant; præterea duo tresve pagi Helvetiorum, qui nondum a veteri religionis usu discesserant: quorum opera factum est, ut utrinque ab armis discederent, duriore tamen conditione Lucernensibus imposita; qui præter cætera cum Rege fœdus ictum rescindere coacti fuerunt.

